Quelle:
Copyright:

et ex aliquibus ſimilitudinibus methaphoricis, que, etſi aliqualiter oblectant animum, paucis tamen aut nullis quietant certitudinibus intellectum &c. Prologus ita finit: *Erunt igitur in iſto tractatu 4. partes principales, quarum prima erit de laudibus ſtudii pariſienſis. 2ª de quibusdam ceteris pariſienſibus eminenciis. 3ª de inconvenientibus illius* (adverſarii) *dictatoris. 4ª de vtilitate Siluanecti.* Quatuor I. Partis Capitulis agitur: *Primo quantum ad facultatem Phyloſophie ſeu artium. De Preconiis theologorum. De facultate doctorum et decretalium. De laude medicorum.* Decem II. Partis Capitulis agitur: *De eccleſiis precipue de eccleſia beate marie et de capella regis. De palacio regis, in quo eſt aliquid de magiſtris parlamenti et requeſtarum et de notariis. De aulis* (des Halles) *campellorum* (aux Champeaux) *et de aliis domibus pariſ. De artificibus manualibus. De conditionibus populi pariſ. quo ad mores animarum et accidentia corporum. De fluuio pariſ. vocato nomine proprio ſecana. De cibarijs ſeu victualibus. De ſitu pariſius et tocius gallie in quo eſt quoddam correlarium de regibus francie. Per modum epylogi ſententiaria exclamatio pro pariſius civitate inclita. De rege francie et eius modus ſcribendi celſitudinem regie maieſtatis.* III. Partis Capitulis oppugnantur quatuor Adverſarii Inconvenientia, quae juxta Noſtrum partim adulationis, partim exaggerationis vitio admiſit. IV. Partis Capitulo unico *Silvanecti* Encomium. En ex antiquiſſimis *Lutetiae* Deſcriptionibus curioſam ſane et rariſſimam. Audi vero Clauſulam: *Explicit tractatus de laudibus Vrbis Vrbium pariſius cuius una pars eſt de Vtilitatibus Siluanecti propinquitatis ad ipſam pariſius confluio gratulantis ſcriptus complete anno verbi incarnati 1323. quarto die nouembris per Johannem de Genduno.* Cenſeo ipſam Viri hujus τῦ *Marſilii Menandrini* in concinnando *Defenſore Pacis* συνεργητῦ manum, quem diu Doctorem *Peruſinum* pro *Pariſino*, et *Gandavenſem* dixere, donec *Oudinus* ejus locum natalem Pagum *Janduni* inter *Rethelium* et *Maceriam* (Mazieres) urbes *Campaniae* ſitum indicaret, quem vide T. III. *col.* 883. Opera Noſtri philoſophica jam olim typis commiſſa probe norunt Literatores; *Pariſiorum* vero Encomiaſten qui proderet, nemo mihi compertus. Interim, quod inſtituti mei non eſt, Tractatus hic integer transſcribi mereretur.

XXIV. *fol.* 209. *Recommendatio*, ut e calce adſumo, *ciuitatis pariſienſis.* Opportune hic addita; eſt enim illa, contra quam *Joh. de Janduno* praecedenti Tractatu calamum ſtrinxit. Init vero: *Circuiui terrarum climata cuncta perambulans a finibus luſtrans ſollerter et inquirens quis ex locis habitabilibus in ſplendore et amenitate ſui gradus comparationis excedens tanta polleret preeminencia, vt locorum ceterorum genus ſuperlativum precelleret* &c. Invenies in ea *quatuor* illa *Inconvenientia*, quae